



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VI. De Epistola, Graduali & aliis usq; ad Offertorium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

lebraturus est : ad quem finem in Sacrificiis ponatur tabella designans nomen Episcopi & Patroni loci. Si autem dicatur Missa votiva de Patrono seu titulari, in Oratione A CUNCTIS, subticendum est nomen Patroni, ne de eo bis fiat mentio in Collectis. Nominare tamen poterit vice illius alium pro sua devotione.

N. 2. *Cum nominatur JESUS caput versus Crucem inclinatur, quod etiam facit, quando nominatur in Epistola.* Non verò quando nominatur in Evangelio ut habetur Tit. sequenti n. 2. *Similiter ubicunque nominatur nomen B. MARIAE, vel Sanctorum de quibus dicitur Missa vel sit Commemoratio.* Item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinatur, non tamen versus Crucem. Nomine Commemorationis hoc loco non intelligenda Suffragia communia Sanctorum in oratione A CUNCTIS, sed Commemorationes de Festo simplici vel Octava.

TITULUS VI.

De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.

N. 1. **C**elebrans positus super librum, vel super altare manibus vel ut placuerit, librum tenens legit Epistolam. Illa lecta, debet Sacerdos Ministro dare aliquod signum finitæ Epistolæ; vel vocem mutando, vel faciem aliquantulum ad Ministrum vertendo.

Ibid. Epistola & aliis lectis, Sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris in cornu Evangelii, & cum transit ante medium altaris caput cruci inclinatur. Et Missale sic locat ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris & non ad parietem sive ad partem ejus contra se directam. Ad Aquilonem legit, **ALCUINUS** cap. de Celebrat. intellige si altare sit ad Orientem: ex quo patet, quod liber sub Epistola & Evangelio diverso modo locandus sit: sub Epistola posterior pars libri respicit ipsum altare & non cornu, sub Evangelio, non altare sed cornu respicit.

N. 2. Lo-

N. 2. *Locato Missali in altari Celebrans si ipse librum detulerit, redit ad medium altaris: alioquin à cornu Epistolæ venit ad medium: ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis & statim dimissis: has actiones facere debet Sacerdos antequam dicat, Munda cor meum. Tum profundè inclinatus dicit secreto MUNDA COR MEUM. Tribus vicibus in medio altaris junctis manibus inclinatus eas non ponit super altare: primo hic: 2do: dum dicit SANCTUS. 3tio ad AGNUS DEI, & JUBE DOMINE BENEDICERE. Quia petit benedictionem à Deo, in Missa autem solemnè Diaconus dicit: JUBE DOMINE, quoniam benedictionem à Celebrante petit. Distinctio hæc notanda est. Ibi. *Quibus dictis vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum, hoc est versus cornu vel aquilonem quantum commode fieri potest, junctis manibus ante pectus dicit intelligibili voce DOMINUS VOBIS-CUM, &c. Deinde pollice solo absque indice, dextra manus sinistra supra librum posita, signo crucis signet primo librum super principio Evangelii. Postea sinistra manu pectori admota se ipsum, dum dicit SEQUENTIÀ vel INITIUM SANCTI EVANGELII, signat librum, dum respondetur, GLORIA TIBI DOMINE se ipsum signat. Ibid. Cum autem nominatur JESUS caput versus librum inclinatur: & eodem modo versus librum, etiam dum expositum est Venerabile Sacramentum, genuflectit cum in Evangelio est genuflectendum.**

N. 3. *Cum dicit ET INCARNATUS EST usque ad ET HOMO FACTUS EST inclusivè genuflectit unico genu, manibus super altare extensis, ut seipsum ad altare sustineat, ut habetur Tit. præcedenti n. 4. quod semper observandum, dum ad altare sine mora flectit.*

TITULUS VII.

De Offertorio usque ad Canonem.

N. 2. **D**lto Offertorio discooperit Calicem. Velum decenter plicatum prope tabellam secretarum extra Corporale deponit.

Et ad